

.lxxi. ITEM ALIA .

Scimus autem quoniam diligentibus deum omnia concurrunt in bonum . his qui secundum propositum uocati sunt sancti . Sciendum est ergo fratres karissimi . quia omnia quecumque fecerimus uel passi fuerimus propter dilectionem dei ; haec nobis ad mercedem crescunt aeternam . et omnia quecumque iustus fecerit aeternis . prospera buntur in caelis . Quosdam autem gratis uocauit deus ad salutem . multo magis glorificabit operantes praecepta eius salutifera . Nam presciuit et predestinauit conformes fieri imaginis filii eius . ut sit ipse primogenitus in multis fratribus . Cum enim anima et corpore aeternos nos esse uoluit deus pater . sine fine uiuentes in gloria sempiterna . Sicut predestinauit ut filii dei nominemur et fratres christi . qui est primogenitus ex mortuis . quia resurrexit in exemplum nobis . Quos autem predestinauit . hos et uocauit . Et quos iustificauit ; illos magnificauit . Quos presciuit credituros . hos et uocauit . Vocantur autem per predicationem ut recte credant in deum . Credentes autem iustificabuntur /143r/ per baptismum . et iustificati per gratiam gloriantur in uirtutibus gratiarum ; sicut et resurrectione futura glorificabuntur . sine fine in regnum caelorum . Si igitur deus pro nobis . quis contra nos est? hic ostenditur . quod nemo potest impedire eos qui diligunt deum pura mente ac bono opere . quia perfecta caritas foras expellit timorem . ut gloriam quae a deo promissa est consequantur . In qua etiam nobis patientiae monstratur exemplum . sicut scriptum est . Caritas patiens est ; benigna est . Et ideo propheta dixit . Benefac domine . bonis et rectis corde . Et iterum . bonus es tu domine . et in bonitate tua doce me iustificationes tuas . Unde apostolus ait . Ó altitudo diuitiarum sapientiae et scientiae

dei . quam inconprehensibilia sunt iudicia eius . et inuestiga
biles uiae eius . Quis enim cognouit sensum domini? aut quis
prior dedit illi et retribuetur ei? nemo siquidem ante
cognouit sensum domini ut sine ipso sapiens esset . et non
indigeret doctrina eius . ut intelligeret et sciret archa
na dei . Nemo igitur prior fecit aliquid ut non dei mise
ricordiam glorificaret . sed suo se merito se recepisse
magnificaret . Ipse ergo solus glorificandus est ex quo
omnia quę facta sunt monstrantur . sicut propheta ait .
Omnia quecumque uoluit dominus fecit . in caelo et in terra in mari
et in omnibus abissis . Hic uniuersa sub breuitate conclusa
sunt . Cęlum enim positum est pro cunctis caelestibus . terra
pro omnibus quę in humano girantur . mare pro omnibus quę in
aquis fiunt . Igitur ex deo omnis creatura accipit ini
tium . et per ipsum regitur . et sub cuius potestate omnia ui
uunt . et in ipso finiuntur . et tamen ipse a nullo contine
tur nec umquam regitur . Ex ipso enim et per ipsum et in ipso
/143v/ sunt omnia . uisibilia atque inuisibilia . Ipsi gloria et imperium et po
testas . per omnia secula seculorum . amen .